

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Müller Henricus Schapen von

Disputatio De Intellectu Divino

Rostochii: Richelius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730153754>

Druck Freier  Zugang



R U phil 1653.

Heinrich Müller, Pres
Kunrad von Schapira, Rep



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/pnn730153754/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn730153754/phys_0002)

DFG

DISPUTATIO
De
INTELLECTU
DIVINO.

Quam
Divina favente clementia
CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS
PHILOSOPHICÆ

In Illustri ad Varnum Academiâ
Sub Præsidio

VIRI CLARISSIMI
DN. M. HE NRICI MÜLLERI
Rostochiensis,
Eruditis examinandam publicè proponit
HENRICUS von Schapen/ Osnab. Westph.
Author:

In Auditorio majori 30. Julii horis matutinis.



ROSTOCHII
Typis Johannis Richelii, Senat, Typogr.
Anno cī 1^o 15 LIII.



Verè Arist. l. i. Met. c. I. nār̄is āv̄ Dōm̄i tō̄ ēidēas ὡρίου -
Iaū Φύσι. quibus scientiam potius speculat̄i vam, cum signum
ejus tñ̄ r̄w̄ ā D̄ȳs̄ w̄ āz̄ān̄ōv faciat, intelligi apparet, ad-
de, quod felicitas humana p̄cipue in cognitione & contemplatione
Dei consistat licet glorificatio ejusdem Rom. I. io, maximè quoq; ne-
cessaria, quapropter scientiam scientia divina, quam natura Deus
per visibilia etiam indidit hac vice paucissimis thesibus scrutabimur.

Thesis I.

Dari autem scientiam sive intellectum divinum, qvæ in di-
vinis etiam cum cognitione idem sunt, probatur tūm à priori & qvidem (1.) ex ipsa Dei spiritualitate; Omnis enim
substantia spiritualis est immaterialis; Immaterialitas autem, ait Thomas p. I. q. 14. art. I. alicujus rei est ratio quod sit cognoscitiva & jux-
ta gradum immaterialitatis est gradus cognitionis! Ideo Deus sicut
est summe immaterialis ita summè est cognoscitivus. (2.) ex perfe-
ctione. Deus est Ens perfectissimum, quapropter debet esse vivens:
si vivens, tum vivit per intellectum, nam reliqua genera vitæ ex in-
tellectu non oriunda imperfectionem important; Tum à posteriori.
Omnis homo habet in se intellectum, & participative qvidem à Deo:
Cum itaq; effectus toto genere non possit esse nobilior sua causa, utiq;
non solum eminenter & virtualiter sed & formaliter & secundum
entitatem propriam intellectus in Deo præsupponitur; Imò proba-
tur ex ordine mundi pulcherrimo; qui non nisi ab opifice summe in-
telligentे produci potuit; Cum operis artificium quo majus est, eo
majorem in artifice laudet prudentiam.

II. Hæc scientia divina non est qualitas sive potentia, sive in-
telligendi habitus divinæ essentiæ aceedens, quod non admittit (1.)
perfectio infinita ejusdem, qvia ab aliquo superaddito (quod formale
foret)

foret) constitueretur in esse divinæ naturæ, & perficeretur ab eodem, jam-perfici, imperfecti est (2.) *Actualitas*, si essentia divina ex se haberet potentiam quandam receptivam qua apta esset recipere illud accidens, mutaretur utiq; quod (3.) *immutabilitas* non admittit.

III. *Formale* itaq; nullum in Dei scientia præter actum ultimum & purum cognitionis cognoscimus, vel quod idem est, divinam essentiam apprehensam ut cognoscentem omnia; sic essentia divina est de formalis intellectus divini ratione, ita tamen, ut conceptus ille essentiae absolutus ulterius aliquid ratione distinctum superaddat, quod quasi formalitas intellectus nobis est, nimirum rō esse cognoscitivum. quod tamen in re nihil ab essentia ipsa est diversum, nisi per rationem superadditum. *Dices*: formale illud esse in operatione immediate elicita ab essentia divina per quam res cognoscatur? *Resp. Negando*, i. Quia sic intellectus foret productum aliquid ab essentia Dei, adeoq; dependens, quod nullum in Deo est, (2.) productum esse est imperfecti, atqui Dei scientia est perfecta ut patet inferius: Dicimus itaq; : *Intellectus & Intellectio*, sive *id quod & id quo* in Deo sunt idem, adeo ut ne ratione ratiocinata diversa in eis concipere liceat: Unde Suarez Disp. 30. Met. 15. n. 13. falso assertit, quod possimus in Deo aliquid concipere per modum actus primi quod sit vis intelligendi, praescindendo ab actuali intellectione, & ab hoc, quod illa vis sit activa vel ipsum formalis actus.

IV. Videbimus ergo quid sit scientia divina: *Intellectus sive scientia divina est proprietas Dei viventis*, per quam omnia & singula entia realia & rationis sine ullo errore, uno actu simplicissimo perfectissime introspicit, & à priori exactissime intelligit: Hæc membra hujus descriptionis exactius cognoscere, ubi objectum & modum scientiæ Dei accuratus nobiscum consideraveris.

V. *Objectum* illud vocamus, quod attingit intellectus divinus cognoscendo illud estq; omne Ens scibile: Nam infinitatem essentiarum sequitur infinitas scientiarum & modus sciendi sequitur modum essendi.

VI. Est autem aliud *primarium*, propter quod reliqua omnia cognoscuntur & ad quod in cognitione omnia referuntur & est ipse DEUS, & quæ intra ipsum sunt, essentia, hypothales & relationes:

pro-

probatur (1.) ex ipsa Dei essentia : essentia , qva essentia , est vera & cognoscibilis in ratione essentiæ , à qvodam intellectu , & conformis eidem , quis autem ille intellectus nisi ipse divinus (2.) ex ipsa Dei perfectione . Seipsum noscere perfectio est , ignorare imperfectio , quid ultra ? Nisi & à creatura Deum vis estimare , qvæ illum cognoscit , multò magis Deus seipsum cognoscit , noster intellectus qvidem confuse tantum , divinus verò distinctè ob intelligentis ad intelligibile proportionem adæqvatam . Qvin si Deus seipsum non cognosceret , aliquid supra & in se haberet non à se profectum , qyod esse nequit .

VII. Aliud est secundarium in quo cognoscens acqviscit , neq; ad illud primò sed propter aliud tendit ; estq; omnis creatura producta vel producenda , sive , omne qyod extra Deum esse suum habet . (1.) probatur ex voluntate Dei ! Deus cognoscit suam voluntatem ; Si hoc , ergo etiam qvæ vult ea , causa est , qvia alias non cognosceretur adæqvate voluntas , nisi simul actus & objecta illius cognoscerentur . (2) ex virtute , si hanc , tunc & illius objecta , tam creationis , quam conservationis & cooperationis ratione . Infinitum qvidem numero non potest cognosci ab intellectu creato , qyod etiam de divino affirmare possemus , si cognitionem successivam ei tribuere fas esset . vide inferius .

VIII. In specie Deus scit res universales , & singulares . Has qvia cognitio est actio , actio est circa singularia . Ergo ? Illas qvia cognoscendo singulares cognoscit & eorum prædicata , cum continantur ab illis .

IX. Deus cognoscit res spirituales & materiales , illas qvia nulla creatura proprius accedit ad essentiam divinam , adde qyod produxit illas . Has verò in dubium trahas : qvia cognitio fit per assimilationem cognoscens ad cognitum , cui repugnet immaterialitas divina respond . non in physico sed intentionaliter . Sic verus manet Arist . l . 3 . de anim . c . 5 . r . 18 . dum intellectum omnia fieri dicit , qvia intellectus divinus omnia intelligit . Ergo ! regenti : proportionem nullam dari inter immateriale intellectum divinum & res materiales : dicimus 1 . nec intellectum humanum esse materialem , cum nihilominus intelligat res materiales - 2 . favere nobis objectionem :

A 3

qvia

quia quod quid perfectius est, eò perfectius quoque cognoscit, jam immaterialitas intellectus divini est perfectissimum, E. cognoscit perfectius certe res imperfectiores, nimis materialis. Alias colligere fas esset: Deus non cognoscit accidentia: ratio, quia est substantia simplicissima: Ad phrasim Thomae de potent. qvæst. 3. art. 16. ad 23. Deus cognoscit aliquid extra se: dicimus distingendo: aliud esse: cognoscere quæ sunt extra se: & aliud cognoscere extrase: prius affirmamus; posterior negamus.

X. Deus non tantum novit universalia & singulare, sed & universa & singula: singulos novit capillos capitis nostri eosque numeratos habet, sic novit numerum beatorum & materialiter & formaliter ut ait Lombard. lib. 1. dist. 40. & Aquin. sum. Theol. part. 1. art. 23. Et licet singula illa intellecui infinita & ex generatione & corruptione hujus vel illius incerta videantur & vere sint, summae illi tamen scientiae nihil infinitum, ita ut propter infinitatem non sciat, nec ita quicquam incertum, quin illi certum sit.

XI. Novit Deus summa & vilia: neque nisi vilissima creatura minus requirit intellectum divinum cum creaverit illam Deus, neque quia creavit, intellectui divino despiciat esse potest. Quidam nullam res per se vili est, sed tantum per λόγον εὑρετες quia ratione nulla res relata ad Deum cognitione Dei digna erit, siquidem planè nihil est, ad nihil autem collata aliquid est, nihilominus quod Deus vilia non cognoscet, in certo cognitionis practicae gradu admittere possumus.

XII. Deus intelligit res possibles & impossibilis: Illas demonstramus ex cognitione potentiae, si novit potentiam suam, novit & illa ad quæ se extendit, nimis omne possibile, etiam quod nunquam vult producere. 2. ex perfectione scientiae Dei: quia perfectissima est ejus scientia, etiam tota rerum possibilium universitas a Deo cognoscitur, astipulante Suarezio d. 30. Met. f. 15. num. 22. Has vero cognoscit, quia cognoscit possibles: dum enim possibles cognoscit negativè apprehendere quoque debet aliquod non possibile, v. g. quia Deus cognoscit se unum esse infinitum possibile esse, eo ipso cognoscit impossibile esse plura esse infinita.

XIII.

XIII. *Qvaritur specialissimè : Num Deus futura cognoscet?*
Qvod cognoscet futura necessaria inferius ex modo scientiæ prolixipatebit : qvod vero futura contingentia sciat, probatur (1.) ab objecto scientiæ divinæ in genere, qvod est omnescibile: jam autem futura contingentia sunt scibilia. Ergo, in specie (2.) probatur ex immutabilitate Dei. Si Deus res contingentes eas quæ nunc existunt antea cognovit, habemus qvod volumus : Sin minus verò, sic nunc, quando cognoscit, ex non sciente factus est sciens, &c sic muratus, qvod negatur per immutabilitatem ejus (3.) ex actualitate Dei purissimâ : quæ excludit omnem potentiam passivam ad cognoscendum aliquando qvod nondum sit cognitum.

XIV. Futura contingentia dicimus non tantum ea, quæ sunt foreuita, sed etiam quæ sunt mutabilia, ideoq; aliquando ita eveniunt, ut potuerint non evenire : Sic distinguimus ea in *futura contingentia absoluta*, quæ reverè aliquando futura sunt, utut mutabiliter, & *conditionata* quæ rursus distingvuntur in *conditionatè futura* & *pure conditionata*. Illa aliquando (quia sub statu tantum conditio-nato futura erant) futura sunt : Hæc verò non erunt. Sublata est enim conditio: qualis erat scientia Christi cum sciret Tyrios & Sydonios convertendos, si vidissent miracula à Christo patrata.

XV. *Qvaritur circa futura: Num Dei scientia, quia exactè futura novit, eis contingentiam auferat & necessitatem imponat:* cum major certitudo in scientia, quam in objecto scientiæ esse non possit: siquidem illa ex hac desumitur; adde: qvod necessario cognoscitur, necessario esse: Deus a. nihil contingenter cognoscit, sed omnia necessario: ubi notabis i. discriminem inter necessitatem ab-solutam & hypotheticam, (2.) inter necessitatem intrinsecam & extrinse-cam (3.) necessitatem consequentis & consequentie. Hinc respond. (1.) qvod Dei scientia rebus necessitatem absolutam, intrinsecam & con-sequentis non imponat: patet: (1.) à cognitione Dei circa liberos suos actus, Deus eqvidem scivit ab æterno actus liberos de propagando genere humano, de condendo mundo &c. Si a. scientia Dei acti-bus illis liberis imposuisset necessitatem absolutam &c. tum non manserint liberi, sed necessarii & inde Deus agens liberrimum non mansisset sed necessarium, qvod falso. 2. à. cognitione ipsa quæ est
(a) mere

(a) mere speculativa quæ res ut factas contemplatur & supponit. (b) ob-
jecto scibili posterior intellige, ut habet rationem scibilis. Itaq; illa
specificatur ab objecto suo, ut hanc vel illam rem contingentem vel
necessariam cognoscat e. g. Actus mali cognoscuntur esse mali non
semper necessario scientia mala, sed sàpè optima, ut divina. Ideò
igitur illud malum objectum, à scientia illa quæ circa illud est, speci-
ficari non potest. (2) Præscientia Dei contingentibus rebus potest impone-
re necessitatem hypotheticam, extrinsecam & consequentiam: probatur;
quia qvod contingens est potest necessariū esse ex hypothesi, non verò
absolutè: ratio est: 1. qvia contingentiam rei facit intrinsecum qvip-
piam, necessitatem verò hypotheticam ponit aliquid extrinsecum.
2. qvia omnis res contingens, quando est, necessariò est; *ttsse*
Arist. de Interp. c.14. Omnis quoq; res contingens, quando est, con-
tingenter est. Ergò qvædam res, qvæ est contingenter, est & ne-
cessariò. Sic vides futura non esse qvia Deus præscit, sed qvia fu-
tura sunt, ideo Deum præscire. nam non sequitur: *Johannes scri-
bit, qvia eum Henricus certò scribere videt: sed ideo eum Henricus cer-
to scribere videt qvia scribit.* Ad verba illa: qvibus res ita esse, ut co-
gnoscuntur, putabas, resp. Scientia Dei respectu sui ipsius semper
est necessaria, respectu verò objectorum contingentium potest
etiam dici contingens: si axioma illud ad divinam essentiam vis de-
torquere.

XVI. Deus novit Entia rationis à nobis confusa. patet: qvia
Deus comprehendit humanos actus, qvidni ergò & eorum objecta,
nam qvi cognoscit cognitionem, illius objectum ignorare non po-
test, jam verò Ens rationis v. g. mons aureus, est objectum cognitio-
nis humanæ. Qvod autem *Gabriel Vazquez l. 2. t. p. dis. 118. n. 12.*
illud in Deo imperfectionem dicere putat, negamus, & distingui-
mus: Aliud esse, cognoscere Ens rationis ut rationis, & aliud esse,
cognoscere male cognosci Ens rationis, prius negamus de Deo, po-
sterius affirmamus, nam errorem agnoscere perfectionis est. *vid.*
Suarez dis. 54. Met. scđt. 2. n. 23.

XVII. Deus novit mala qvodg: patet ex eâdem, qva præce-
dens, ratione, ab actibus intellectus nimirum & eorum objectis, tñm
etiam per oppositum bonum, dum enim formas bonitatis intelligit,
intelli-

intelligit quoq; privationes ejusdem, adde, qvod Deus cognoscat actiones suas proprias circa malum, quales sunt permissio, inhibitio, dispositio, sed hanc qvæstionem vide fusiū cum de modo sciendi dicimus.

XVIII. Cum de modo scientiæ divinæ qværimus, possemus meritò cùm Simonide, cum ab Hierone de Dei qualitate rogatus esset, biduum illud sepiuscule duplicare, sed nihilominus videbimus ut qvalicunq; modo scientiæ divinæ modum describamus. Liquer homines intelligere per species impressas, nam absq; iis intellectus humanus nil potest exprimere, qvia non habet unde determinetur ad cognitionem hujus objecti in quantum hujus, at eo modo Deus non intelligit, intelligeret enim ita, per potentiam passivam, his a. causis Deus opus non habet, nam est ubiq; ipse præsens. Hinc cognoscit Deus ut ait Magister subtilit: Scaliger exercit. 36. sect. 3. non per speciem sed per sui ipsius præsentiam, & Thomas inquit: p. 1. q. 14. art. 5. Deus videt seipsum in seipso, qvia seipsum videt per essentiam suam, sic omnia videt in seipso, qvia essentia sua continet omnium aliorum similitudinem. i. e. Deus non intelligit aliud à se per aliquid aliud à se (puta species) sed omnia distinctè per suam essentiam. Sic vides discrimen divini & nostri intellectus, noster intellectus ait Arist. 3. de an. c. 5. tb. 18. fit omnia. Intellectus vero divinus est omnia. Ille fit recipiendo species, hic actualiter est præhabendo eas.

XIX. Deus cognoscit res creatas in esse proprio & formalí, non virtuali, patet, qvia species intelligibilis, qvod nostro intellectui præstat, illud essentia divina scientiæ sive intellectu divino, illa autem non virtualiter, sed in esse proprio & formalí nobis repræsentat objectum, Ergo & hæc; tum etiam, qvia Deus præsens est omnibus in actu existentibus;

XX. Deus cognoscit per Ideam: qvid sint Ideæ disputent Arist. l. 6. Met. c. 6. & l. 5. Met. c. 9. Thom. p. 1. sum. q. 15. art. 1. Fons. lib. 7. Met. c. 8. q. 2. f. 1. 2. 3. cum seqq. ad. 7. Nos supra diximus Deum intelligere per suam essentiam, hæc ipsa essentia, quatenus est actualis creatorum præsentatio, est nobis hic Idea, sic Deus non per Ideas sed per Ideam intelligit & hæc Idea non est ad modum alicujus produ-

etii, sive concepti, nec objecti, sed est in Deo per modum speciei
erpressae formaliter repræsentantis id quod cognoscitur.

XXI. Deus intuitivè cognoscit omnia etiam futura quod
contra Scotum in i. d. 39. q. uni §. Alter. & alios, ut Durandum, Ocha-
num, impugnamus, & probamus ex ipsa æternitatis juxta Boeth. lib. 5.
de consol. Philosoph. definitione, ubi *Æternitas*, ait, est in-
terminabilis vita simul tota & perfecta posseſſio quæ si simul tota est,
utiq; indivisibilis est, si hoc, tum nulli successioni obnoxia,
si ergò DEUS etiam futura intuitivè non cognosceret, æ-
ternus non esset, vocatur quidem juxta nos futurorum in-
tuitiva scientia, sed juxta Deum verè est præsens scientia & quidem
præsens realis, hanc præsensiam non tollit, quod ea, quæ aut ex-
stiterunt aut existent, nulli rei nec Deo coexistant, nam satis est, si res
extra Deum existant in mensura scientiæ divinæ, non cuiuslibet exi-
stentiæ earum, & licet Deo res illæ præsentes sint, tamen non in alia
quam suâ propria & peculiari temporis differentia quam semel ha-
bent, habuerunt, vel habebunt, Addimus & hoc, res quæ successive
fiunt, Deus cognoscit intuitivè prius fieri quam factas, nec tamen co-
gnoscit prius fieri quam cognoscit factas.

XXII. Scientia Dei est 1. simplicissima, non nudè apprehen-
siva sed comprehensiva. Nam intellectus divinus non fertur ab uno
in aliud sed uno ac in dividuo actu distinctissime cognoscit omnia,
non distractus ipse in plurima sed collectus in semetipsum. 2. non est
per modum compositionis & divisionis sed omnia intelligit per simpli-
cem intelligentiam 3. non per discursum. 4. non proprie dicta in
Deo est scientia, quam nos vocamus sive à priori s. posteriori 5. non
per consilium, quia plures Deos faceremus, si consilium in Deo sta-
tuemus.

XXIII. Scientia Dei est perfectissima, quod patet ex ejus per-
fectione essentiali. Hinc scientia divina fons est omnis scientiæ,
nam sola est scientia per essentiam, reliqua scientia est talis per parti-
cationem ab illa. 1. perfectissima est intensive propter summam
perfectionem in omnibus conditionibus s. proprietatibus perfectæ
scientiæ, 2. extensive, non entitativer ex parte scientiæ, sed objectivè
ex parte rerum.

XXIV.

XIV. Scientia Dei est clarissima, evidentissima & certissima. Claritas enim perfectio scientiae est; certissima est quia evidenterissima est, licet interdum apud nos certitudo sit sine evidentiā, nūquā tamē evidentiā est sine certitudine. Deinde infallibilis est scientia divina, quia attingit veritatem cum perfectissimo lumine quod ex intuitu simplicissimo etiam apparet. Hęc a. infallibilitas non nūtitur infallibili voluntate Dei sed potentia ejus infinita, quia creaturis adesse potest: removemus deniq; à Deo opiniones & conjecturas.

XXV. Hęc scientia divina, licet una sit, nihilominus conceptibus nostris inadæqvatis eandē distingvere possumus; non tamē multiplicare. Sic (a) scientia Dei alia est visionis, quia Deus videt omnia, alia simplicis intelligentie, quia cognoscit impossibilia (b) cognitione Dei alia est nuda s. simplex alia juncta cum voluntate, alia cum permissione. Illa alias Theoretica dicitur. Cognitione cum voluntate s. beneplaciti est quia res sub ratione boni, & ut objecta sua voluntatis comprehendit: vocatur alias scientia beneplaciti. Scientia cum permissione est, quæ circa malum permissive versatur, ita ut non velet, sed permittat, potest vocari hęc scientia etiam practica cum Thoma part. I. q. 14. art. 16. qui sub hanc practicam Dei cognitionem, cum proprio ejus objecto etiam malum ponit, quatenus permittit & dirigit, quæ actiones sunt, sumpto simili à Medicis, qui circa ægritudines versantur practice, in quantum eas curant & removent; licet alias malum non nisi scientię Dei speculativę objectum sit.

XXVI. Hęc scientia divina, quali quali modo à nobis considerata, nihilominus adhuc perfectior est quam in hac rerum mortalium angustiā eam descripsimus, cum itaq; notitia nostrā ex naturā rei cognitā, sed facultate cognoscētis dijudicanda sit, idēc s. scientiā de divina scientia quidditatim propriè immortalitati reservamus, & tibi Jēhovalaudes pro cōcessā tui etiam in hac mortalite notitiā cantamus.

COROLLARIA.

1. Deus mundum ab æterno facere non potuit.
2. Nemo potest aliter agere, atq; Deus ab æterno intuetur.
3. Qvo quis doctior, eo doctrinæ inanior sibi videtur.

In-

4. Ineptè qvidam ex Thomæ Aquin. S. Theol. p. 1.q. 12. infus. onere
habituellem gloriae in Patriâ , ex infusione gratiae sanctificantis in
via (qvæ nulla est) dimensus est. Vale itaq; mi Chrischeni , cum tuo
labore qvem orthodoxis tam arduum tam durum , tamq; difficultem pro
obtinenda illis tam ignobilis infusione gloria offers , utpote qvì longè nobi-
lioris à Spiritu Dei , non Solifero (ut dicis) Aquinate certiores sunt.



Ad Literatis. Dn. Respondentem,

FErvet opus messis. Nec Tu nunc otia qværis ,
Et sunt conatus non sine laude tui.

Hermannus Schuckmann Theol. D.

Prof. Universit. Rostoch. b. t. Rector.



Ad Eximum & Eruditissimum

Dn. Henricum von Schapen / Theol.

& Phil. Studiosum Solertissimum , Amicum
svavissimum .

Scire Tuum nibile est , qvisqvis mortalia curas :

Scire Dei rerum species comprehendere cunctas

In Nunc stante potest , perq; omnia secula durat.

Scire Tuo num scire Dei scrutaris , Amice ?

Gratulor : apprendes , qvi se comprehendit , IHO V A M.

I. mq;

PRÆSES.



ORnes qvod rursus Cathedram dulcissime Schapi ,
Gratulor , haud dubito , præmia digna feres .

*Hocce disticho singulari & arctissimo amicitie
vinculo sibi devincto suo populari suavissimo
applaudere voluit*

Hinricus Ortgise Bily. Westph.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730153754/phys_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730153754/phys_0015)


DFG

intelligit quoq; privationes ejusdem, ac
actiones suas proprias circa malum, qual
dispositio, sed hanc qvæstionem vide si
dicimus.

XVIII. Cum de modo scientiæ d
meritò cùm Simonide, cum ab Hieron
esset, biduum illud sèpiuscule duplicare
mus ut qualicunq; modo scientiæ divinae
qvæt homines intelligere per species im
plicitus humanus nil potest exprimere, c
minetur ad cognitionem hujus objecti i
do Deus non intelligit, intelligeret eni
vam, his a. causis Deus opus non habet.
Hinc cognoscit Deus ut ait Magister su
fæct. 3. non per speciem sed per sui ipse
inquit: p. i. q. 14. art. 5. Deus videt seipsum
det per essentiam suam, sic omnia videt
continet omnium aliorum similitudine
aliud à se per aliquid aliud à se (puta specie
suam essentiam. Sic vides discriminem
noster intellectus ait Arist. 3. de an. c. 5. tb.
divinus est omnia. Ille fit recipiendo s
habendo eas.

XIX. Deus cognoscit res creatas
non virtuali, paret, qvia species intelligib
præstat, illud essentia divina scientiæ sive
non virtualiter, sed in esse proprio & fo
jectum, Ergo & hæc; tum etiam, qvia L
actu existentibus;

XX. Deus cognoscit per Ideam
Arist. l. 6. Met. c. 6. & l. 5. Met. c. 9. Thom. p.
Met. c. 8. q. 2. f. 1. 2. 3. cum seqq. ad. 7. N
telligere per suam essentiam, hæc ipsa e
creaturarum præsentatio, est nobis hic
sed per Ideam intelligit & hæc Idea non e



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. [redacted]